

Q. D. B. V.

NATALIS XII

QUEM

SERENISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS

**D. N. JOHANNES
GEORGIUS IV**

DUX SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE
AC MONTIUM ETC. ETC. ETC.

PRINCEPS JUVEN-
TUTIS,

GLORIOSISSIMO NOMINE

**PROAVI, AVI, PA-
RENTIS**

MAXIME GLORIOSVS,

D. ^{XVII.} _{XXVIII.} OCTOBR. M DC LXXIX.

FELICITER CELEBRAVIT,

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI,

SUB MODERAMINE

CHRISTIANI WEISII, RECTORIS

PIETATE NON TARDIORE

AD. D. ^{XXI.} _{XXXI.} OCTOBR.

H. L. Q. S.

CELEBRARE CONABUNTUR

CONSTANTINUS FRIDERICUS Dedekind / DRESDENSIS

Gotthelff Ehrenreich Becker / STOLPENSIS.

GEORGIUS FRIDERICUS Lingke / DRESD.

JOHANNES Gottfried Dedekind / DRESD.



ZITTAVIAE,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI



Illuxit nuper faustissimus ille dies, in terris stylium
Gregorianum observantibus Simoni ac Judæ sacer,
qui duodecimum Natalem exhibuit Serenissimo *JO-*
HANNIGEORGIO IV. Principi Magnorum *ELE-*
CTORUM Nominibus & Ominibus splendidissimo.
Et fanè cum oculis meis obversaretur rara' ea, ac in Familiis Ger-
manicorum Principum penè dixerim extraordinaria felicitas, quod
annis abhinc septuaginta non nisi *JOHANNEM GEORGIUM*
agnovissent Saxonicae Provinciæ, nunc etiam Gloriosissimi Hujus;
Nominis *SECUNDUS*, seræ Posteritati promittere posset *QUAR-*
TUM; in memoriàm veniebat recepta quasi fortunæ consuetudo,
quam seculis etiam superioribus deprædicaverunt Cives, Marchio-
nibus Misnensibus, postea Electoribus subjecti. Nimirum simili fa-
torum constantia *FRIDERICI* olim successerunt *FRIDERICIS*,
ut, si annum respicias 1315. quo *FRIDERICUS ADMORSUS*
Parentem mori, ac se pleno hæreditatis jure atigeri vidit, postea
irrupto sequantur ordine *FRIDERICUS GRAVIS, STRENU-*
US, BELLICOSUS primus ex hac Familia Elector, & *PLACI-*
DUS anno demum 1464. mortuus, translata ad Filium *ERNE-*
STUM successione, cum Fridericus Filius natu major præcipiti
morte Nomen sesquiseculi spatio clarum, ac in *FRIDERICO SA-*
PIENTE novis radiis illustrandum, Electorali dignitati surripuis-
set. Quamobrem apud me subjectissima enascebatur pietas, quæ
spem sibi conciperet non minus firmam, fore ut *FRIDERICO-*
RUM hæc prosperitas, gemino imposterum augmento, Nostris
JOHANN-GEORGIIS incumberet. Noveram autem è Gre-
gorio Turonensi *lib. 10. cap. 28.* Chilpericum Gallia Regem, post-
quam Clotharium Filium baptismo obtulisset, diserto hoc voto
Paternæ Pietatis officium explevisse: *CRESCAT PUER, ET*
HUJUS NOMINIS SIT EXECUTOR, AC TALI POTEN-
TIA POLLEAT, SICUT ILLE QVONDAM, CUJUS NO-
MEN INDEPTUS EST. Multo igitur feliciores judicabam
Saxones; qui Nominis tanti executionem, non ab uno, sed jam a
Tribus, imposterum à pluribus Exemplis, possent exigere. Ac
proinde aliquos è meis Auditoribus, vel ob nascendi conditionem
Aulæ Electorali proprios adhortabar, nolent commodam hanc
bene precandi occasionem negligere, cum inter Arcana Actuum
Oratoriorum, primum ac primarium esse videretur, *THEMA LE-*
GENTIBUS & GRATUM & SPLENDIDUM. Quæ cau-
sa me nunc permovet, ut publicâ hac præscriptione Omnes ac sin-
gulos Literarum Patronos, Fautores & Amicos, qua par est ob-
servantia rogem & obtester, velint ad dictum diem in Gymnasii
nostri Auditorio Majori confluere, ac, sive in Oratores benevo-
len-

lentiam, sive, quod à quovis præstari omnino debet; devotissimam erga tantos *PRINCIPES* propensionem demonstrare. Forte etiam major futura est adventantium alacritas, si brevi competendio singulorum pensa delineentur.

Prodibit vero prior *DEDEKINDIUS*, suosq; Commilitones ad Natalis justam concelebrationem exhortabitur.

Alter *BECKERUS* juvenem hunc *PRINCIPEM* ominabitur *JOHANNI GEORGIO I.* simillimum ac proinde apprecabitur Symbolum à Divo Heroe olim receptum

SCOPUS VITÆ MEÆ CHRISTVS.

Tertio loco procedens *LINGKIUS* Exemplum *JOHANNIS GEORGII II.* respiciet, votivâq; Oratione prosequetur Ejus Symbolum:

SURSUM DEORSUM.

Ultimus *DEDEKINDIUS* flexis ad *JOHANNEM GEORGIIUM III.* oculis, optando contemplantur Symbolum:

JEHOVA VEXILLVM MEVM.

Horum dicta excipiet Musica sequentibus strophis tria hæc Symbola complectens.

CANTUS.

*S*IVE ME FELICITAS
BLANDIORE FLABRO TANGIT;
SEU VICISSIM VANITAS
INSULTANDO PECTUS ANGIT:
SIVE DITIORIBUS
VIVO GAUDIIS ADMISTUS,
SIVE PARCIORIBUS
SCOPUS VITÆ MEÆ CHRISTUS.

BASSUS.

*Q*VANDO LUNÆ FAX QUIESCIT?
IAM CEDENDO LABITUR,
IAM SURGENDO SVAVE CRESCIT,
AC IN ALTA TOLLITUR.
SIC QUI SOLE CHRISTO GAUDET
HOS UTRINQ; CURSUS AUDET,
AC SI QVIS REQUIRAT; QVORSUM?
SURSUM DICIT AC DEORSUM.

TENOR.

O BEATA MUNDI BELLA
QVEIS REDEMPTOR PRÆSIDET,
HIS NEC IRA NEC PROCELLA
LAURI MUNUS INVIDET.
DUM JEHOVA SIT SIGILLUM,
COELITES ME NOVERINT,
ARMA NEC ME PRESSERINT
DUM *JEHOVA SIT VEXILLVM.*

BAS.

CANTVS.

SIC PRUDENTER IMPERO,
CHRISTVS VITA, CHRISTVS META,
SANCTE QUEM DESIDERO,
SCEPTI GESTA REDDIT LÆTA.
NUNQVAM CORDA RECREAT
UNIO VEL AMETHYSTUS,
SI PERENNIS LUCEAT
SCOPVS VITÆ MEÆ CHRISTVS.

BASSVS.

PRIMA CURA TENDIT SURSUM,
CHRISTUS UT ROGANDUS EST;
DONEC PER REFLEXUM CURSUM
CURA TERRIS INTEREST.
SUM DIVINUS AC MUNDANUS,
ET SI MUNDI GREX INSANUS
FERVIDUM MINETUR MORSUM,
SURSUM VOLVOR ET DEORSUM.

TENOR.

NUNQUAM SOLVITUR CERTAMEN,
ET GUBERNANS MILITAT,
ERGO FOVA SIT LEVAMEN
SIQVA PUGNA TERRITAT.
SIVE TEMPUS EST PUSILLUM,
DUM PERICLA SENTIO;
SIVE TUTUS RIDEO
DUM JEHOVA FIT VEXILLUM

Istis circulis comprehenditur nostra Sedulitas. Faxit omnipotens Pater, ut votorum efficaciam sentiant *SERENISSIMA CAPITA*, nec unquam in hoc Gymnasio gratularis deficiat *SAXONICÆ FELICITATIS* novum aliquod argumentum; sicut auscultaturos non destituet Favor & benignitas.

P. P. d. XXX. Octobr. M DC LXXIX.

